

1539

lis disciplina, egregiisque rebus gestis nunquam non floruit, illius nomen, tanquam veteri virtute obsolescente, maritima apud cunctos existimatione exuatur? At quo se recipiet? in occidentemne vela dabit? scilicet, ut *Auriae* sociatus, spes, quae *Byzantii* de pace oblata est, intempestive praecidatur, ac omnino pereat? An in altum provectus hostes eludet? at mare triremibus infidum, nulla ibi annona, nulli commeatus. In orientemne igitur iter arripiet? Nulla, nisi in *Creta*, tuta statio; iter longinquum, annonae difficultas, ut nisi summa incolarum omnium desperatione ex ea provincia peti possit. Quae cum ita sint, quis non potius classem in *Adriatico* esse malit; ubi & commeatus affatim copia suppetet, & nullus laceffentis hostis impetus erit pertimescendus? Sin vero, quod alterum caput est, amicus *Chariadenus* advenit; eo magis classem ibidem continendam arbitror, ne in *Turcarum* animis suspitione orta, a vobis cum *Cæsare* consociatis viribus, intra huius sinus fauces fore, ut intercludantur, juribus induciarum neglectis, hostilia in nos arma convertant; cum praesertim ex classium propinquitate quotidie quamplurima suboriri queant, quibus vel invitati in novas belli causas provocemur. An vero *Auriae* artes ignotae sunt, quibus serere inter vos, ac *Suleimanum* dissensionum semina conatus, ut ad apertum bellum eliceret; mox cum obnixae a vobis, atque a Pontifice, ut se imperatori vestro adjungeret, flagitaretur, nullis suasionibus, nullis precibus inflecti potuit, quin *Genuam* contenderet? Quis ambigat, non eadem mente futurum, non eadem consilia adhibiturum, ut vos *Turcis* suspectos reddendo, concordiae rationibus abruptis, *Cæsari* ita devinciat, ut ab illius consiliis nunquam divelli liceat? Quid? quod ex nutu ejusdem, penes quem omnium foederatarum copiarum imperium est, vester imperator pendere cogetur, cum ita conditionibus foederis cautum sit? Instabit, urgebit, ex foederis lege praecipiet. Quid tum vester imperator? Vires consociabit? Tunc ex *Auriae* auctoritate, non vestro arbitratu, classe utemini: ad *Neocastrum* defendendum, quod nobis per summam injuriam *Hispani* occupavere, ire oportebit: in nobis, neque pax, neque bellum situm erit. At si adungere se *Auriae* nostri abnuent, nonne hoc facto odium, atque arma *Cæsaris* in *Rempublicam* incitabit? ancipiti periculo